BALTHASSARIS PISANELLI PHILOSOPHI ET *MEDICI BONONIENSIS.*

IN

Octo libros Topicorum Ariſtotelis Tabulæ, in quibus.

Quæcunq; ab Ariſtotele & cæteris quibuſcunque, hucuſq; ſparſim tractantur, breuiſſimo Epitomate, & Diuiſiua Methodo comprehenduntur.

AD

ILLVSTREM D. IOANNEM BASA-*DONIVM IACOBI FILIVM.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEAPOLI,

Apud Ioan. Mariam Scotum. M D LXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNI BASADONIO PATRONO SVO.

Balthaſſar Piſanellus Philoſophus & Medicus Bononienſis
S. P. D.

ID mihi ſemper curæ fuit, vt literarum ſtudioſis prodeſſem, non immemor non nobis, ſed cæteris nos natos eſſe. Cum igitur pluries animaduerterim Dialecticę facultatis ſtudioſos non parua à ſuis Præceptoribus iniuria affici, dum Topicorum Ariſtotelis lectio tanquam vana & inutilis ijsdem negatur, Quo factum eſt, vt ij tum Præceptorum, quos plurimi faciunt, auctoritate confiſi, tum operis prolixitate, perterriti, id ſibi facilè in animum inducant, (Hinc ignorantia traxit originem,) Quo pacto enim quis argumentandi rationem probè perſpectam habere potuerit, ſi locos in quibus ipſa ratio veluti in propria ſede latitat, prorſus ignorauerit? Non parum illis profuturum me cenſui ſi pro illis ita hoc loco inſudarem, quemadmodum pro Medicis Hippocrates cuncta maxima intellectus indagine contemplans laborauit, dum Aphoriſticos ſermones conſcripſit. Hinc fit vt cum ſuperioribus annis hoſce libros interpretarer, doctrinam quæ ibidem habetur, in breuiſſimam, ordinatámq; Methodum redegerim, in qua omnia quæ & Ariſtoteles, & cæteri quicunq; di his diffusè ſcripſerunt, comprehenderentur. Has igitur meas lucubrationes omnibus impartiri cupiens, te Amplitudine & doctrina virum, eis pa-

tronum deſtinaui, vt ad omnes curioſorum impetus quaſi murus quidam exiſtimationis tuæ ſit oppoſitus, Norunt. n. omnes quanta in tè ſit, magnanimitas, gloriæ cupiditas & ſcientiarum cumulus, ita vt iure optimo Clariſſimus IACOBVS Baſadonius tuus Genitor fœliciſſimus à quibuſcunq; cenſeatur, cum te filium habeat ita omnibus virtutibus & ſcientijs preditum, in quo veluti in limpidiſſimo ſpeculo quæ fuerint eius actiones, cunctis perſpicuum eſſe poſſit: Suſcipe igitur huius libelli patrocinium, quem tuo nomini pro meo officio ac ſumma obſeruantia, qua me tibi maximis tuis beneficijs, & liberalitate perpetuò deuinxiſti, Affero, & dico, ſitq; amoris quo te proſequor, certiſſimum pignus, Te illud vnum in præſentia oratum velim, vt librum hunc noſtrum, vel tuum potius, foueas, vt cum cæteri intelligent tibi non ingratum fuiſſe, libentius legant, exiſtimentq; cum à te fuerit probatus, vel ob hoc ipſum non eſſe contemnendum. Vale meq; deuinctiſſimum tibi certo ſcias. Neapoli. Octauo Calendas Februarij. M D LXVI.

D. VINCENTII CAVASETI BONON. OLIVETANI ORDINIS HEXASTICHON.

Vtilis hic Author, cui hæc quantum debeat ætas
Id ſua teſtantur plurima ſcripta breui
Tunc opus obſcurum Alter, cum breuis eſſe laborat
Verùm is quò breuior, clarius edit eò,
Neſtoreos vtinam Balthaſſar viueret annos
Omnia diuideret Panſophus in Tabulas.

PRAEFATIO.

DIALECTICA eſt diligens diſſerendi & diiudicandi ratio, quam naturalis illa, atq; in animis noſtris inſita Ratiocinandi, & verum à falſo internoſcendi notio peperit, Hinc Cicero eam veri & falſi diſceptatricem & iudicem vocauit; Quemadmodum enim Grammatica benè loquendi artem, & Rhetorica benè dicendi modum, ſic Dialectica benè diſſerendi communem quandam rationem ac viam docet: Finis enim eius eſt, accommodatè ad probabilitatem de quaq; re propoſita diſſerere, vel vt Platoni in Philebo placet, vera & falſa iudicare; Hinc Zeno ſtoicus Dialecticam & Rhetoricam coniungens, quid inter illas intereſſet, manu demonſtrare ſolebat, ac Dialecticam compreſſis digitis pugno, Rhetoricam ijsdem diductis & explicitis palmæ ſimilem eſſe dicebat, quòd illa diſputandi ratio contractior eſſet, hæc dicendi & ornandi latior, atq; ſplendidior, illa contenta ſit docere & rei dubiæ fidem facere, hæc præter fidem adhibeat & motum animorum, vel delectando, vel concitando, Habet Dialectica duas partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi, illam Greci Topicen appellant, inueniendorum argumentorum diſciplinam, qua loci continentur, ex quibus illa depromuntur, hanc verò criticen vocant, Topicen proſequutus eſt Ariſtoteles in libris qui topicorum inſcribuntur vbi quænam ſint loca illa, vbi media ad conficienda argumenta, veluti in proprijs ſedibus inueniuntur, euumerat & docet. Omnis enim

Digitized by Google

probatio ac fides rei dubiæ per argumenta efficitur, Argumentum enim eſt ratio præſtans probationem, qua colligitur aliquid per aliud, id enim quod dubium, ac minus probabile eſt, per id quod non dubium, aut magis probabile eſt, confirmatur, id autem quo aliquid probatur, vocatur medium quia cauſa eſt cur aliquid probetur, Vnde autem hoc medium facilè elici poſſit pręſenti libello proſequar, tanta. n. eſt Ariſtotelis prolixitas, vt omnes librorum vaſtitate perterriti, dimittant quæ ſibi maximo vſui & neceſſaria forent, hinc fit vt multi claudicant publicæ igitur vtilitati conſulere volens, breuiter & ſufficienter cuncta faciliter perſtringam, & tractabo, à quæſtionibus abſtinens, nam tantummodo Doctrinam huiuſmodi claram, minimeq; obſcuram (ita vt quilibet eam facilè percipere poterit) aggrediar, ac monſtrabo, & cuncta Ariſtotelis ſententiæ accommodabo.

Locorum à quibus ducuntur argumenta, alij ſunt.

- Perſonarum, et hi ſunt quę perſonis attribuuntur, huiuſmodi autem ſunt.
  - Genus Vulgo Natalia nuncupantur.
  - Natio, Patriam vocant.
  - Sexus. Vt Mas, vel fæmina.
  - Aetas, vt Pueritia, Iuuentus, Senectus.
  - Habitus corporis, vt Crine ruber.
  - Educatio & inſtitutio, vt quæ à Præceptoribus traditur.
  - Animi affectiones, vt Audax. Timidus, liberalis, auarus.
  - Conditio & fortuna, vt ſeruus, liber, Diues, Pauper.
  - Victus. vt laſciuus, caſtus.
  - Studium. vt Theologiæ. Mathematicæ.
  - Res geſtæ. vt Bellum optimè geſtum.
  - Nomen. vt Petra, quaſi pede trita.
  - Mors. & quæ mortem conſequuntur.
- Rerum, & horū alij vocantur.
  - Inſiti, ſeu artificiales, & inhærentes, & horum alij vocantur.
    - Interni, & horum alij ſunt.
      - De ſubſtantia eorū quæ in queſtione ponuntur, & hi ſunt.
        - Definitio & definitum.
        - Deſcriptio et deſcriptum.
        - Interpretatio, & interpretatiū.
      - Concomitantes ſubſtantiam & hi ſunt.
        - Totum & partes.
        - Cauſa & effectus.
        - Generatio et corruptio.
        - Vſus.
        - Communiter accidentia.
    - Medij, & hi ſunt.
      - Coniugata.
      - Caſus.
      - Diuiſio.

- *Externi, & hi ſunt.*
  - *Oppoſita quæ quadruplicia ſunt ſcilicet.*
    - *Contraria.*
    - *contradictoria.*
    - *Relatiua.*
    - *Priuatio & habitus.*
  - *Comparatio.*
    - *Maioris.*
    - *Minoris.*
    - *Paris.*
  - *Similitudo & diſſimilitudo*
  - *Proportio.*
  - *Auctoritas.*
- *Aſſumpti, ſeu inartificiales, & hi ſunt.*
  - *Præiudicia.*
  - *Rumores.*
  - *Tormenta.*
  - *Tabulæ.*
  - *Iuſiurandum.*
  - *Teſtes.*

Scio non defuturos quàmplurimos qui mirabuntur noſtram hanc locorum diuiſionem, cum non conueniat cum cæteris, & cum à nullo hucusq; fuerint hi loci ſic diuiſi, præſertim cum à modernis cauſæ quatuor, & affectus earundem inter externos locos numerentur, ſed cum ab Ariſtotele, & rei veritate diſſentiant (vt intelligenti patère ex his poterit) indigent vt melius in hac facultate erudiantur.

Loci perſonarum vocantur illi, qui ſumuntur ab iis quæ perſonis attributa ſunt, Illa autem quæ perſonis attribuũtur, ſunt.

1 *Genus, illud inquam genus, quod à Porphirio in libro prædicabilium appellatum fuit principium generationis ab eo qui genuit, ideo dixit Oreſtem à Tantalo habuiße genus, Nos Natalia nuncupamus, A quibus argumentandi ſumitur locus, vt Apud Horatium, Fortes creãtur fortibus, Dialecticè autem ſic, Fortis eſt, quia à fortibus creatus eſt, Improbus, quia ab improbis creatus eſt parentibus.*

2 *Natio, quam ibidem Porphirius uocauit principium generationis, à loco in quo quis genitus eſt, Ideo dixit Platonem eße ex genere Athenienſium, Hinc locum argumentãdi ſic Elicimus, Mendax eſt, quia Cretenſis eſt, Perfidus eſt, quia Pœnus eſt, ſtupidus eſt, quia Bæotus eſt, iuxta illud Horatij, Bæotum craßo iurares aëre natum.*

3 *Sexus, Hinc dicunt iuriſtæ, Non debetur, quoniam mulier promiſit, Hinc Cicero, Quod mulier ſine tutore autore promiſit, non debetur, Et Apud Virgilium, varium & mutabile ſemper fœmina.*

4 *Aetas, à qua ſic argumentamur, Conſilio hunc valere credibile eſt, quoniam ſenex. & Ignoſcendum huic eſt quoniam puer Hinc Terent. Amauit dum ætas tulit.*

5 *Habit⁹ corporis, Hinc dicitur, Mal⁹ eſt, qa crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus, ut habetur apud Martialẽ.*

6 *Educatio & inſtitutio, Hinc dicimus, Prauus eſt, quia malè educatus, & ab ineunte ætate malè didicit, & magiſtros malos & ineptos habuit.*

7 *Animi affectiones, Hinc dicimus, ex moribus & indole conuinces facilè hunc ex te natum, Liuius, Ille ne qui temulẽto agmine comeſſabũdus incedit, par eſſet Romanis? Itẽ cũ ſceleſtiſſimus sẽper fuerit, nõ mirũ ſi creditũ abiurarit.*

8 *Conditio, & fortuna, Hinc dicimus, cauſas Getæ orare non licet, quia ſeruus eſt, & exulibusne datur ducenda Lauinia coniux? & Pauper vbique iacet.*

9 *Victus, Hinc dicimus, laſciuus eſt, quoniã luxuria diffluit.*

10 *Studium, Hinc dicimus, Non eſt voluptarius, quoniam literarum eſt ſtudioſus.*

11 *Res geſtæ, Hinc dicimus, Mandandũ eſt bellum Mithridaticum Pompeio, quoniam multa bella fœliciſſimè confecit.*

12 Nomen, & hinc ioci; & ſcommata, atq; etiam ſuſpiciones petuntur, Vt Verres eſt quoniam verrit ac rapit omnia, Et Innocentius dictus eſt, quòd nihil ſit eo nocentius, Non rectè probus dicitur, quia improbus.

13 Mors, & quæ mortem conſequuntur, Hinc eſt quòd cicero de Scipione in Lelio dixit, Quam charus, ciuitati fuerit, mærore funeris indicatum eſt.

DE LOCIS RERVM CAP. II.

LOCI rerum diuiduntur in inſitos, ſeu inhærentes, & in aſſumptos, ſeu vt vulgo dicunt, in artificiales, & inartificiales, Artificiales ſunt. quibus ea continentur argumenta, quæ ex ſua ui & natura, aut ad probandum, aut ad refellendum aſſumuntur, Inartificiales verò qui foris aſſumuntur, vt extra cauſam fidem faciant, ſed quia artificialium alij ſunt interni, alij externi, alij medij, primo de Internis ſermonem faciemus, ſumentes exordium ab argumentis qui ſumuntur à ſubſtantia eorum quæ in queſtione ponuntur, & hi ſumuntur ex definitione & definito, ex Deſcriptione & deſcripto, & ex etymologia, & nomine.

Tunc argumentum ſumitur à ſubſtantia eorũ quæ ponuntur in queſtione, cum inferens, & illatũ includunt ſe cõuertibiliter, Hoc autem fit tribus modis ſcilicet.

A definitione ad definitum & e conuerſo (Definitio.n. eſt oratio indicans quid eſt eſſe rei per eſſentialia) ſumitur autem ab hac locus quatuor modis ſcilicet.

1 Subijciendo definitionem affirmatiuè, vt Animal rationale currit, igitur homo currit.

2 Prædicando definitionem affirmatiuè, vt Petrus eſt animal rationale, igitur Petrus eſt homo.

3 Subijciendo definitionem negatiuè, vt Animal rationale non currit, igitur homo non currit.

4 Prædicando definitionem negatiuè, ut Aſinus non eſt animal rationale, igitur Aſinus non eſt homo.

Simili modo à definitione ad definitionẽ quatuor ſunt argumentandi modi & hi omnes tenent, virtute canonis generalis ſeu axiomatis, nos locum communem, vulgo MAXIMAM. vocant, & hæc eſt, Quicquid dicitur vel negatur de definitione, dicitur aut negatur de definito, & econuerſo, & Quicquid affirmatur vel negatur de definito, idem affirmatur aut negatur de definitione, & e conuerſo.

A deſcriptione ad deſcriptum & è conuerſo,(Deſcriptio. n. explicat quid eſt eſſe rei per accidentalia) ſumitur autem accidentale pro eo quod nō eſt de eſſentia rei, & ſic proprium hoc loco accidens dicitur, ſumitur autem hic locus quatuor modis ſcilicet.

1 *Subijciendo deſcriptionem affirmatiuè vt animal riſibile currit, ergo homo currit.*

2 *Prædicando deſcriptionem affirmatiuè vt Petrus eſt animal riſibile, igitur Petrus eſt homo.*

3 *Subijciendo deſcriptionem negatiuè ut Animal riſibile non currit, igitur homo non currit.*

4 *Prædicando deſcriptionem negatiuè vt Aſinus non eſt animal riſibile, igitur aſinus non eſt homo.*

Idem ſi dicatur Aſinus eſt, quia animal auritum, ſolidis pedibus, & fœtundum, & contra Affirmatiuè, & negatiuè; vt ſupra dictum eſt.

Ab etymologia & nomine, ſeu ut uulgo aiunt ab interpretatione ad interpretatum, & e conuerſo, et hæc fit cum ex notiori verbo minus notum notificamus, & ex ui verbi argumentationem elicimus; Hæc autem duplex eſt. ſcilicet vel.

Interpretatio conuertitur cū interpretato, vt Amator ſapientiæ & Philoſophus, & tunc ab ijs mutuo affirmatiua, et negatiua ducuntur argumenta.

Interpretatio nō conuertitur cū interpretato, vt Mutuū, & de meo tuū, quia nō conuertuntur, Ideo tantum negatiuè valet argumentum, vt non ſit de meo tuum, igitur non eſt mutuum, A nomine autem. i. ab interpretatione tenet affirmatiue, vt Mutuum eſt, igitur de meo tuum.

Huc pertinent differentia et proprium, horum autem hic eſt communis locus, Cui differentia non conuenit, ei nec ſpecies, nec proprium conueniet, vt Quod ratione caret, homo eſſe non poteſt.

De locis rerum qui ſumuntur à concomitantibus ſubſtantiam, & primo de loco à toto cap. III.

QVI antè enumerati ſunt loci rerum, ſumuntur à ſubſtantia eorum quæ in queſtione accipiuntur, ſed præter hos ſunt etiam alij loci rerum intrinſeci, qui à concomitantibus ſubſtantiam ſumuntur, hi ſunt qui à toto ad partem & è conuerſo, à cauſa ad effectum, & è contrario, à generatione, à corruptione, ab vſibus, & à communiter accidentibus accipiuntur, quæ ſingula enarrabimus.

1 Totum vniuerſale, & hoc vocatur quodlibet ſuperius reſpectu ſui inferioris, id ſcilicet quod de pluribus ſiue ſpecie, ſiue numero differentibus dicitur, & tunc ab illo toto ducuntur argumenta negatiua, vt Lapis non eſt animal, igitur Lapis non eſt homo, Vel Non eſt emptio, quia non eſt contractus, vel non eſt ſtipulatio quia non eſt obligatio MAXIMA. ſeu locus communis hic eſt, Sublato genere ſpecies remouetur. Argumentum autem à parte ad totum vniuerſale tenet affirmatiuè, Vt Homo currit, ergo animal currit, & Petrus currit, igitur animal currit.

2 Totum integrale, & hoc vocatur quod habet partes quantitatem habentes. vt Domus habet parietes, tectum, & fundamentum, & tunc ſumitur argumentum affirmatiuè, Vt Domus eſt, igitur paries eſt, ſed à parte ad totum valet negatiuè, vt Paries non eſt, igitur nec domus, Nam poſito toto, etiam ponuntur omnes partes ipſum integrantes, A Partibus autem ſimul ſumptis ad totum, valet argumentum affirmatiuè: vt Paries, tectum, & fundamentum eſt, igitur Domus.

Locus à toto ad ſuam partem ſumitur multipliciter, ſcilicet ſecundum quòd totum variè diuiditur, eſt. n. Totum aliud.

3 Totum in quantitate, & hoc vocatur vniuerſale ſumptum vniuerſaliter, cum ſcilicet, vniuerſali additur ſignum diſtributiuum, vt omnis homo, A quo ſumitur argumentum affirmatiuè & negatiuè, vt omnis homo eſt animal, igitur Petrus eſt animal, vt Nullus homo eſt aſinus, igitur Petrus non eſt aſinus, ſi enim vniuerſalis ſit vera qualibet particularium eſt vera, ſimiliter ſi vniuerſalis fuerit falſa, qualibet particularium eſt falſa, ſed non e conuerſo.

4 Totum in modo, & hoc vocatur vniuerſale indefinitè ſum-

ptum, vt Homo, ſi autem hoc vniuerſale ſumatur cum determinatione reſtringēte dicitur pars in modo, ut homo albus, & tunc ſumitur locus ſicut à toto uniuerſali, vt Aſinus non eſt homo, igitur non eſt homo albus, ſi vero determinatio fuerit diminuens, nō ſequitur, vt Petrus eſt homo mortuus, igitur eſt homo; Hic eſt leo pictus ergo eſt leo.

5 *Totum in loco, & hoc eſt quod ſignificat omnem locum, vt vbiq;, nuſquàm & cætera aduerbia localia, id autem, q̄ vnum locū ſignificat, dicitur pars in loco, vt hic, & ab his arguendum eſt à toto in quantitate, vt Deus eſt vbiq;, igitur hic eſt, & chimera nuſquam eſt, igitur non eſt hic, & Petrus non eſt hic, igitur nec vbique.*

6 *Totum in tempore, & hoc vocatur quod ſignificat omne tempus, vt ſemper, & nunquam, & ab his ſumitur hoc modo argumentum, Deus eſt ſemper, igitur Deus eſt nunc, & rurſus Chymera nunquā eſt, igitur chymera nō eſt nūc.*

De locis à cauſa ad effectum; & e conuerſo cap. IIII.

A Cauſa ad effectum, & e conuerſo ſumuntur loci argumentationum, eſt. n. cauſa cuius ui ſequitur aliud, ſiue quam naturæ ordine ſequitur effectus, teſte Ariſt. ſecundo lib. poſteriorum Analiticorum cap. primo, cauſarum & effectorum loci plurimum conducunt in laude ac vituperatione, in deliberationibus & Iudicijs dum ab honeſto, vtili, poſſibili, facili, aut contrarijs, à voluntate & facultate petuntur argumenta; Nam honeſtum vel vtile eſſe ad finem pertinet, fieri poſſe, voluiſſe aliquem, aut potuiſſe ad efficientem cauſam,

Cauſa quadruplex eſt, ſcilicet Materialis, & hæc eſt materia efficienti ſubiecta, ex qua res naturalis, vel artificioſa componitur, vt homo ex corpore & animo, ſtatua verò ex Auro.

Diuiditur autē Materia dupliciter ſcilicet in

Materiam permanentem, veluti ſi ex lapidibus, lignis, & calce conſtructa ſit domus, vel ex argento ſtatua, quæ ad priorem materiam reduci poſſunt, & in hac pro argumentandi loco MAXIMA hæc eſt A cauſa materiali ad effectum arguitur negatiuè, hoc modo, Non eſt aurum, igitur nec ſtatua aurea, ab effectu autem ad cauſam materialem arguitur affirmatiuè, vt Aurea ſtatua eſt, igitur eſt aurum.

Materiam tranſeuntē, ſeu mutabilem, vt ſi ex farina & aqua panis fiat hæc in priorem materiam redire nequeunt, Quo caſu ſic arguendum eſt, Panis eſt, igitur farina et aqua fuerunt, Negatiuè autē argui debet à cauſa materiali tranſeunte ad effectū tempore præterito, hoc modo, Farina non fuit, vel in tempore præſenti hoc modo, Farina non eſt, Panis igitur fieri nō poteſt.

Formalis, & hæc eſt quæ dat eſſe rei, ſcilicet effectu, vt albedo dat eſſe albo, & in hoc Maxima ſeu locus cōmunis eſt, A cauſa formali ad effectum arguendum eſt negatiuè, vt Albedo non eſt, igitur nec album, Anima non eſt, igitur nec animatum, Ab effectu verò ad cauſam formalem argumentandum eſt affirmatiuè, vt animatum eſt, igitur anima eſt, & Album eſt, igitur albedo eſt, Ideò à cauſa formali ad effectum negatiuè ſic arguimus, Matrimonium non eſt, quoniam defuit legitima, & conſenſu inita ſocietas, Ab effectu verò ad cauſam formalem ſic affirmatiuè concludimus, Cœlum continuò mouetur ab oriente in occidentem ſpacio 24. horarum æqualium. ergo Rotundum eſt.

Efficiens, & hæc eſt illa à qua primò fit motus, vt domificator eſt cauſa efficiens domus, in quo MAXIMA, ſeu locus communis eſt, Ab efficiente cauſa naturali, neceſſaria, non impedita, neceſſario ſequitur effectus, ideò tenet argumentum affirmatiuè. Vt ſi ignis eſt, non poteſt non vrere, modò adhibeatur materia combuſtibilis, Item ſi ſol in æquatorem inciderit, æquinoctium eſſe neceſſe eſt, ſi ad capricornum deſcenderit, Bruma, ſi ab æquatore ad cancrum aſcenderit, æſtas, ſi bibit cicutam, morietur, Item hic eſt Domificator bonus, igitur Domus ab eo facta eſt bona, Sumitur pariter argumentum negatiuè ab effectu ad cauſam efficientem naturalem neceſſariam, &c. Vt Domus bona eſt, igitur & Domificator bonus eſt, uel fuit. Sed ſublata cauſa neceſſariò tollitur effectus, Vt Non eſt ſol ortus, ergo nec eſt dies, Et Non ſtuduit, ergo non eruditus, ſed hoc loco animaduertendum eſt quoſdam hoc loco errare dum ita argumentantur, Domus eſt, igitur Domificator eſt, & Domificator eſt, igitur Domus eſt, Cauſa autem erroris hæc eſt, nam in his omnibus iam dictis cauſa & effectus non ſumuntur formaliter (ita loqui pro nunc deceat) ſed fundamentaliter. Quod ſi cauſa efficiens, non ſit naturalis ſed voluntaria, Locus communis tunc eſt, Poſita cauſa voluntaria, poteſt poni & effectus, qui ea remota tollitur, Vt ſi ſutor eſt, conſui calceus poteſt, ſi deeſt, non poteſt. Si doctrinam expetitis, docti ſcriptores legendi ſunt, & docti præceptores audiendi ſunt.

Finalis, & hæc eſt cuius gratia aliquid fit, & quò ſpectat vſus rei, ſed finis duplex eſt, ſummus ſcilicet, ſeu perfectus, & deſtinatus, ſeu ad aliū ordinatus, Summus eſt qui per ſe expetitur, qualis eſt rei cuiuſq; ſtatus in ſuo

Digitized by Google

genere optimus, vt hominis fœlicitas, ſeu vita beata, Equi ferocem eſſe, Studiorum eruditio, Deſtinatus eſt qui ad ſupremum comparatus eſt, vt cibus, potus veſtitus, & opes, quæ vitæ humanæ tuendæ ſunt adiumento, ſine quibus viui non poteſt, In Cauſa finali Maxima ſeu locus communis eſt, Cuius rei finis bonus vel malus eſt, ipſa quoq; vel bona vel mala eſt, Ideo in his ſumitur argumentum affirmatiuè, & negatiuè, vt Beatitudo eſt bona, igitur virtus eſt bona, Item, pœna non eſt bona, igitur peccatum non eſt bonum, Item ſi malum eſt adulterium, ſolicitare nuptas malum eſt, Qui finem expetit, ne fugiat id quod fini deſtinatur, & qui finem oderit, ea fugiat quæ fini conſequendo conducunt, Hinc dixit Cicero. Si Pace volumus frui, bellum gerendum eſt, ſi bellum omittimus, nunquam pace fruemur, ſi vitam expetis beatam, exerce virtutes, & fuge vitia, ſi eruditio bonum eſt, Studium etiam quod in diſcendo ponitur, bonum eſt,

De locis à generatione & corruptione cap. v.

A Generatione ducitur argumentandi locus, cum rem generare nihil aliud ſit quàm rem efficere, in quo Maxima, ſeu locus communis eſt. A generatione ad generatum, & à generato ad generationem ducuntur argumenta affirmatiuè & negatiuè, vt ſi generatio Martyris eſt bona, igitur Martyr eſt bonus, & ſi martyr eſt bonus, profectò ſequitur generationem martyris eſſe bonam, Nam bonæ rei malus eſt interitus, igitur cauſa interimens mala, ita etiam dicendum, ſi generatio Antichriſti eſt mala, profectò malus eſt, Antichriſtus, ita quoq; e conuerſo, ſi antichriſtus malus eſt, profectò Antichriſti generationem eſſe malam, ſequitur, Item Generatio Abſinthij bona eſt, igitur Abſinthium bonum eſt, & e conuerſo.

A Corruptione ducitur argumentandi locus, qui ſecundo Topicorum cap. tertio ab interimentibus ad euerſionem rei nuncupatur, in quo Maxima ſeu locus communis eſt, A corruptione ad corruptum ſequitur oppoſitum. Vt Generatio Antichriſti eſt mala, igitur Antichriſti corruptio bona eſt, Item Antichriſti corruptio bona, igitur eius generatio mala, Corruptio virtutis eſt mala, igitur virtus eſt bona, cuius enim generatio bona, ipſum quoq; bonum eſt, Cuius verò corruptio bona, ipſum malum eſt, Hinc dicimus ſi cauſa alicuius bona eſt, euertens cauſam profectò malum erit, & ſi cauſa mala, euertens cauſam bonum erit, Vt Bonæ rei mala eſt corruptio, igitur bonum corrumpens malum, & malæ rei bona eſt corruptio, igitur malum corrumpens bonum eſt, vt ſi bonum eſt vita, profectò morbus qui eam labefactat, malum eſt, Item, ſi Reipublicæ interitus eſt malus, profectò ipſam eſſe bonam ſequitur, Quo loco bonum intelligendum eſt, pro eo

bono quod ex ſe, & primò bonum eſt, non autem pro eo bono quod ex accidenti, & ſecundariò bonum dicitur, Non enim nobis liceret ſic vllo pacto argumentari, vt, Mors Decij Romanis bono fuit, igitur fuit ipſe Decius malus, bonum enim illud non ex ſe, & primo (quia tunc ſequeretur proculdubio ipſum eſſe malum) ſed ex accidenti & ſecundariò fuiſſe certò ſcitur, falsò argumentamur etiam cum non neceſſarias cauſas aſſumimus pro effectis concludendis, vt Pluet. quoniam Auſter ſpirat, licet enim Auſter ſit quandoq; pluuiæ productiuus, non tamen ſemper & neceſſario pluuiam producit.

De loco qui ſumitur ab vſu, cap. VI.

VSVS eſt operatio ſiue exercitium rei vſitatæ. A quo ſumitur argumentandi Locus, & Maxima eſt, Ab vſu ad rem vſitatam ducuntur argumenta affirmatiuè, & negatiuè, hoc modo, equitare bonum eſt, igitur equus eſt bonus, & e conuerſo, equus bonus eſt, igitur equitare bonum eſt, Pariter, occidere malum eſt, igitur occiſor eſt malus, & e conuerſo Malus eſt occiſor, igitur occidere malum eſt. Quo loco ſummopere animaduertendum eſt, quòd cum dicimus equum eſſe bonum, bonitas illa non eſt accipienda pro qualitate illa quæ conſequitur conditiones quæ requiruntur ad bonum equum, ſed intelligitur, pro ea quæ habet habitudinem ad equitationem, ita vt ſit concludatur, Bona eſt equitatio, igitur bonum eſt habere equum, ſicut etiam non valet dicere, Socrates eſt Muſicus, ſocrates eſt bonus, igitur Socrates eſt Muſicus bonus, valet etiam optimè argumentatio cum dicitur, vtilis eſt Nauigatio, vtilis etiam eſt nauis, & e conuerſo, Item Bonum eſt vinum quia ſtomacho prodeſt, & animos parat, in quo cauendum maximè ne ab abuſu ſumatur argumentum, Vt Malum vinum eſt, quia ebrietas nocet, vel Gladium malum eſt, quia illo cedes fiant. Cuius enim vſus bonus vel malus eſt, ipſum quoq; bonum aut malum eſt.

De loco qui ſumitur à communiter accidentibus cap. VII.

COmmuniter accidentia duplicia ſunt, Quædam. n. ſunt quæ non ſemper ſe conſequuntur, Vt comptus & adulter, Non enim omnis comptus adulter eſt & e conuerſo, & de his nihil ad preſens, Alia ſunt quæ ſe ſemper conſequuntur, vt Pœnitere ſequitur ſemper ad peccare, vnde Maxima in his eſt, Argumentandum eſt in his affirmatiuè, à conſe-

conſequenti ad antecedens, vt Socrates Pœnitet, igitur deliquit, itidem arguitur negatiuè ab antecedenti ad id quod conſequitur, vt Socrates non deliquit, igitur non pœnitet. Nam in communiter accidentibus ſi poſterius ineſt, primum etiam infuit, vt ſi quis pœnitet, quod conſequitur, prius peccauit, quod antecedit, ſimiliter etiam ſi prius non ineſt, vt ſi non deliquit, nec poſterius inerit, vt Pœnitet, ideo à conſequenti ad antecedens affirmatiuè ſic arguitur, Pœnitet, igitur deliquit, Ab antecedenti autem ad conſequens, negatiuè ſic arguitur, Non Deliquit, igitur non Pœnitet.

De locis Medijs cap. VIII.

Coniugatis, & hæc vocantur, quæ ſunt ex verbis eiuſdem generis, à Cicerone lib. ſecundo de oratore coniuncta appellantur, vocamus nos Abſtractum cum ſuo concreto, vt ſapientia, & ſapiens, iuſtitia & iuſtus, & alia huiuſmodi, & in his hoc pacto arguitur, Iuſtitia bona eſt, igitur Iuſtus bonus eſt, Sapientia bona, igitur Sapiens bonus, Si mori miſerum non eſt, profectò mors miſera non eſt.

Locus communis hic eſt, Tributo vel remoto vno coniugatorium, tribuitur, vel remouetur alterum.

Medij loci vocantur qui neq; omnino sũt extra ſubſtantiam rei, neq; ita infixi, vt interiores, hi autem ſunt, qui ſumuntur à.

Caſibus, & hæc ſunt quæ ab abſtracto cadunt, vt à Iuſtitia, Iuſtus, & Iuſtè, à Sapientia Sapiens, Sapienter, à Prudentia, Prudens, Prudenter, & cætera aduerbia, & hæc à Cicerone coniugatorum nomine vocantur cum ſuperioribus, Ariſtoteles autem ſeparat caſus à coniugatis, pro vt etiam ſeparauit Quintilianus lib. quinto cap. decimo, Hoc loco ſic arguitur, Si liberalitate vtitur, certè liberalis eſt, Item ſi liberaliter agit, liberalis eſt, Item e conuerſo, Pariter Argumenta negatiua neceſſaria ſunt, vt Non facit iuſtè, igitur iuſtus non eſt, Animaduertendum tamen eſt, quòd affirmatiuè licet neceſſario nobis concludere, vt ſi Prudens eſt Prudenter agit. Et ſi Iuſtè, Iuſtus eſt, ſed quando ita arguere volumus, Si iuſtus eſt, (hic habitum & perfectionem intelligere opus eſt) iuſtè faciat oportet, ideo neceſſariò concludet, ſi perpetuò conſtanterq; iuſtè faciat.

- *Diuiſione, & hæc duplex eſt, nã alia fit.*
  - *Per negationem, vt cum dicimus, Petrus aut eſt homo aut non eſt homo, cum ſcilicet in altero membro diuiſionis ponitur negatio.*
  - *Sine negatione, & hæc duplex eſt, nã alia eſt.*
    - *Eſſentialis, ſiue perſe, & tunc alia eſt.*
      - *Generis in ſpecies, vt animalium aliud.* — Equus. Homo.
      - *Totius integralis in partes, ut partium domus alia.* — Paries. Tectum.
      - *Vocis in ſignificata, vt canum alius.* — Latrabilis. Celeſtis. marinus.
    - *Accidentalis, & hac fit cum uel.*
      - *Subiectũ in accidentia diuiditur, vt animaliũ aliud.* — Sanum. Aegrum
      - *Accidens in ſubiecta diuiditur, vt ſanorum aliud.* — Homo. Aſinus.
      - *Accidens in alia accidentia diuiditur, vt ſanorum aliud.* — Calidum. Frigidũ.

Ab his omnibus ſumitur argumentum à poſitione vnius membrorum diuidentium ad remotionem alterius, & e conuerſo, vt Ioannes eſt animal, & non eſt animal ſanum, igitur eſt animal ægrum, & Petrus eſt animal, et eſt animal rationale, Igitur non eſt animal Irrationale.

De locis Extrinſecis, cap. VIIII.

EXTERNI loci vocantur qui rem quidem attingunt, ſed infixi non ſunt, neq; adhærentes, & horum alij ſumuntur ab oppoſitis, alij à comparatione, alij à ſimili & diſſimili, alij à proportione, & alij ab auctoritate, eos autem qui ab oppoſitis ſumuntur prius diſcurramus.

Oppoſita dicuntur quæ ſimul in eodem, ratione eiuſdem, eodem tempore in eſſe non poſſunt, Horum autem alia ſunt.

1 *Contraria, quæ aduerſa à Cicerone in Topicis nominantur, vt hæc ſunt quæ in eodem genere plurimum inter ſe differunt, vt virtus, & vitium, fortitudo, & ignauia, calor & frigus, ſed alterum ab altero pellitur, vt ſi frigus inuaſerit cedit calore, locus communis hic eſt.*

Contrariorum contraria ſunt conſequentia, & cauſæ et effectus contrarij, ſed contrariorum duplex eſt genus, Alia enim ſunt.

- *Contraria quæ nihil medium recipiunt, vt Sapientia & ſtultitia, virtus & vitium, & in his Maxima eſt, vno ſublato alterum neceſſario ponitur, ſi ſubiectum ſit capax, (vt lapis licet æger non ſit, non tamen poteſt dici ſanus, quia non eſt capax ſanitatis) dicimus homo non eſt ſapiens, ergo ſtultus e contra.*
- *Contraria quæ habent medium, vt frigus & calor habent temporem, Album & nigrum habent medios colores, ideo in his locus non tenet ſuperior, nam ſi albus non eſt, profectò non eſt dicendus niger, cum ſint plura media, ualet igitur argumentum tantum affirmatiuè, vt eſt albus, igitur non eſt niger; negatiue non valet.*

2 *Contradictoria quæ cicero diſparata vocat, & hæc ſunt affirmatio & negatio eiuſdem rei de eodem ſubiecto, vt ſedet, & non ſedet, vt ſi Phariſei ex Deo eßent, verba eius audirent, Non audiunt autem, non igitur ex Deo ſunt, Maxima hic eſt; Contradictoriorum poſito vno tollitur alterum, data . n . veritate vnius, ſequitur falſitas alterius.*

Proprietates contrariorum & contradictoriorum habetis in introductorio noſtro in Logicam Ariſtotelis.

3 Relatiua, & hæc ſunt quæ cum aliquo conferuntur, & comparantur, quæ hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vt Pater & filius, dicitur. n. Pater filij pater, & filius Patris filius, ſed hæc non pugnant, diſſentiunt autem inter ſe, Maxima, ſeu locus communis hic eſt, Relatiuorum poſito vno, ponitur & alterum in ſubiectis diuerſis, contra ſublato vno tollitur & alterum, vt ſi Pater eſt, filium habeat neceſſe eſt, ſi non eſt filius, neq; Patrem habet, ſi tibi non ſum vxor, nec mihi es maritus, At verò vno Tributo in eodem ſubiecto, detrahitur alterum, vt ſi Titius Daui dominus eſt, non poteſt eſſe eius ſeruus, ſed aduertendum eſt eſſe neceſſariam conuenientem aſſignationem, vt habetur in prædicamentis.

4 Priuatiua, & hæc ſunt habitus & Priuatio, quorum vnum id quod re eſt, ſignificat, alterum verò eius priuationem, vt aſpectus, & cæcitas, auditus & ſurditas, Habitus. n. eſt rei præſentia, ſeu adeptio, Priuatio eiuſdem abſentia, & amiſſio rei quæ adeſſe potuit, ſiue quam natura adeſſe voluit, idq; ſtatuto tempore, neq;. n. catulus aſpectu, nec puer dentibus antequam per ætatem habere poſſit, priuatus eſſe dicitur, nec cæcus lapis, nec beſtiæ priuatæ ratione, Maxima hic eſt, Priuatiuorum vnum eſt interitus alterius, vt ſi bonum eſt Patria, miſerum eſt exilium, ſi valetudo bonum, morbus miſerum, Si laudabilis eloquentia, vituperabilis infantia, ſi Tenebræ adſunt, lumen abeſt.

De loco qui ſumitur à comparatione, cap. x.

A Comparatione locus vocatur, cum vel.

MINORA ex maioribus concluduntur, hunc locum à Maiore vocant, cum ſcilicet, ex maiori præſtante fidem concluditur minor, Apud Rhetores affirmatiue & negatiue concluditur, vt ſi quis ſacrilegium fecit, faciet & furtum. Quint. Item Cicero, quid faceres domi tuæ cum aliena tam ſis inſolens? Item occidere licet adulterum & non licebit loris cædere? Negatiue, vt ſi vir. non poteſt, nec puer poterit, Quòd ſi rem

maiorem credibiliorem intelligas, & minorem incredibiliorem, tunc negatiuè tantum à maiore ducuntur argumenta, vt ſi Dux arcem expugnare non potuit, nec miles poterit, MAXIMA hic eſt, quod in re maiori non valet, ne valeat in minore.

Maiora ex minoribus concluduntur, Locum à minore vocant, & ab hoc ducuntur argumenta affirmatiuè tantum, vt Miles poteſt arcem expugnare, ergo & Dux poterit & Cicero, Pueri poſſunt, & viri non poterunt? Locus communis hic eſt, quod in re minore valet, valeat in maiore, Nam ſi quod minus videtur ineſſe ineſt, & id quod magis videtur ineſſe, inerit.

Paria ex paribus concluduntur, quæ inter ſe collata ſunt, & hic affirmatiuè & negatiuè ducuntur argumenta, vt apud Cicer. in Topicis, quoniam fundus biennio vſucapitur, vſucapiantur & ædes. vtrunq; enim eſt rerum immobilium; Locus communis hic eſt, Quod in re pari valet, valeat in hac quæ par eſt, Quod in illa non valet, nec in hac quæ par eſt, valeat.

De loco qui ſumitur à ſimili, & diſſimili, cap. XI.

SIMILI, ſimilitudo enim eſt rerum diuerſarum inter ſe collatarum ſimilis quædam affectio, & ab hac ducitur argumentum affirmatiuè & negatiuè, vt ſicut riſibile ineſt homini, ita hinnibile equo, ſed riſibile ineſt vt proprium, ergo & hinnibile, Item riſibile non ineſt homini vt genus, ergo nec hinnibile ineſt equo, vt genus, Item ſi Tutor fidem præſtare debet, debet & procurator, cum vterq; aliena negotia gerat, Si continentia eſt virtus, vtique & abſtinentia, locus communis hic eſt, Similium ſimilis eſt ratio. & iudicium.

Sumitur etiã aliquando locus argumentandi a.

Diſſimili, Diſſimilitudo enim eſt rerum inter ſe collatarum affectio diuerſa, Vt hæredem, ſi quid à defuncto debetur, appellare poſſis, legatarium non poſſis, Item. cum centum argenteos depoſueris, qua fronte aureos totidem repetis? Item tu lapideam diruiſti domum, & reponis ligneam? Locus communis hic eſt, Diſſimilium diſſimilis eſt ratio, & diſſimilia ſunt attributa.

Digitized by Google

De loco qui ſumitur à Proportione, cap. XII.

PROPORTIO eſt rerum differentium eadem habitudo, & ab hac ſic ducitur argumentum, ſicut ſe habet rector nauis ad nauem, ita ſe habet rector Eccleſiæ ad Eccleſiam, ſed rector nauis non ſorte, ſed arte eligendus eſt, ergo & Rector Eccleſiæ non ſorte, ſed arte erit eligendus, Locus communis hic eſt, de proportionabilibus idem eſt Iudicium.

De loco qui ſumitur ab Auctoritate, cap. XIII.

AVctoritas eſt iudicium ſapientis in ſua ſcientia, et ab ea ſumitur argumentum affirmatiuè, vt Aſtronomus dicit cælum moueri, igitur cęlum mouetur, quia unicuiq; experto in ſua ſcientia credendum eſt.

De locis inartificialibus, ſeu aſſumptis, cap. XIIII.

Inartificiales vocantur loci à quibus ducũtur argumenta, quę foris aſſumũtur, neq; in rei natura inhęrẽt, nõ ꝙ artis nõ indigeant, ſed q̄a ea ars non ſẽper, aut oĩa parit, ſũt autẽ ea a quibus ſumuntur.

1 PRæiudicia, & hæ ſunt ſententiæ dictæ, quæ iudicaturis exemplum quod in paribus cauſis ſequantur, adferunut, Confirmamus præiudicia auctoritate eorum qui pronunciauerunt, & rerum ſimilitudine, labefactamus auctoritatis imminutione, & rerum diſſimilitudine.

2 Rumores, & hic qui contra rumorem erit dicturus, vocabit ſermonem ſine vllo certo auctor diſperſum, cui malignitas initium dederit, credulitas incrementum, rumoremq; etiam innocentiſſimo accidere poſſe, fraude inimicorum falsa vulgantium, Pro rumore dicturus, Non temerè dicet diſpargi, ſed eſſe quaſi publicũ teſtimonium.

3 Tormenta, & hæc ſunt ſuplicia quibus extorquetur veritas, A quibus qui probat, dicit quæſtionem inuentam eſſe ob fatendi neceſſitatem, Contrà dicturus, dicet hanc plerunq; eſſe cauſam falsa fatendi, cum tormentorum alij ſint patientes, alij impatientes.

4 Tabulæ, & hæ ſunt Apochæ, Antapochæ, Epiſtolæ, chirographa, codices, pacta, &c. quæ quandoq; refelluntur, veluti ſi tempora non congruere, &c.

5 Iuſiurandum, & eſt affirmatio religioſa, qua nullum ad

Digitized by Google